



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

36. De reliquis S. Willibrordi consodalibus & cur plerique lateant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

## De reliquis S. Willibrordi consodalibus &amp; cur plerique lateant,



Elíquos conuigatores, scilicet VVenerfridum, Adalbertū, quoniā de ijs ex antiquis scriptis aut iustis rationibus nō suppetit sufficiēs dubitandi ratio, S. Willibrordo omninò relinquimus. Cū eo enauigassē vñdecim sodales, nō negauimus, nec negamus, imo affirmāus; negamus tantum fuisse eos (etiā si forte eiusdem nominis fuerint) quos inueterata multorum habet narratio.

Sed quēres; vbi manserint ceteri veri eius consodales? cur adeo obscuri? cur adeo ignorati? Solutio est difficilis ia tanta antiquorum monumentorum macie. Mihi diu cogitanti tanquā probabile occurrit fuisse illos statim à ductore suo dilapsos vel emissos, siue in patriam vnde venerāt, siue aliò. Vix enim pedem in Frisiam tulerant, ingentes exoriuntur irarum nubes, densi praeliorum pluunt imbres inter Radbodum Frisię Regem & Pipinum Austrasię Ducem, inter Frisios & Austrasios. Describuntur ea breuiter à Barlando in Chron. Ducum Brabantię his verbis: *Gubernante eo (Pipino) res Brabanticas, Frisi, qui tunc erant fidei hostes, ut suum in Christianum nomen explerent odium, Franciam Orientalem ferro & igne late vastauerant. Pipinus igitur Orthodoxa fidei propugnator acerrimus, ex suis delectu habito aliquot armorum millia contrahit; nec longior inde mora; cum his copijs in Hollandiam transgressus, Wiltenburgum (nunc vrbs Traiectum dicitur) obsedit multu q̄ diu ab his, qui intus erant, strenue defensum, tandem cepit. In Vrbe iam capta vis ingens Barbarorum caesa est. Ita Bar-*

R 3.

landus

landus. Occupata verò est vrbs secundum Trithemium anno 693. & secundum alios 692. ita vt illa Radbodi sæuitia & Pipini de illo victoria inter annum 690, quo Willibrordus cum socijs aduenit, & 693. acciderint. Quo rerum statu dum in terram vsque adeo turbatam frustra semen verbi Dei iaceretur, alimonia tot simul non suppeditaretur rapaci Marte omnia verrente & euertente, Radbodiano milite immensis furijs grassante, credo eos in Britanniam vel aliò, antequàm quid notabile egissent, migrasse Duce suo relicto, ideoque de illis nihil vel perparum sciri; illo interim apud Pipinum & apud S. Lambertum, quicum de fide propaganda familiariter sæpe conferebat, cum residuis conuersante: Romæ & alibi quæ ad institutum suum exequendum idonea erant pro ratione temporis præparante, exitum belli præstolante. Quo sopito ad inceptum opus regressus est. Vide Barlandum supra.

Si hoc non arrideat, dic illos rebus etiam integris & Frisica Ecclesia vtrumque institutâ & stabilitâ, à Willibrordo ductore suo recessisse (nec enim cogimur credere omnes eius conuenas cum ipso semper mansisse) atque alios & alios superuenisse. Erat frequens Britannorum & Hibernorum virorum in Germaniam vltro citroque prædicandi causa comæatio, nouorum auxiliatorum suffectio. Certum est S. Willibrordum vsum fuisse Episcopis, procul dubio viris præclaris & Sanctis, quorum tamen nomina, acta & tempora ignorantur. Sic Molanus putat verosimiliter Adulphum fratrem S. Bothulphi Abbatis in Anglia sepultum, sub S. Willibrordo claruisse inter Traiectenses Coepiscopos. Quid mirum igitur eius conuenas sodales in Angliam reuersos esse? Quid mirum ignorari? Sane eorum, qui cum S. Willibrordo enauigarunt ignorantiam & incertitudinẽ satis ostendit diuersitas in ijs recensendis

sendis apud Leijdensem Becanum, putatitium Marcellinum & alios qui discrepant tam in nominibus, quam in numero. Eam incertitudinem siue ignorantiam non filet Becanus antiquus Scriptor ( floruit is anno 1330 ) dum de primis socijs quibuscum S. Willibrordus in Frisiam venit agens, ait: *Feruntur huius socij Principales &c.* Enumerans deinde plerosque quos iam reiecit: feruntur, inquit, non affirmat, nec affirmare audeat iudicans rem in opinione positam esse. Quod mihi argumento est nomina primorum Coapostolorum S. Willibrordi iam dudum ignorata esse ob causas supra dictas, aliàs certi aliquid prodidisset vir ille diligentissimus & diuturnus rerum Traiectensium & Hollandarum inuestigator. Nec prætereunda hic est friforum ac Normannorum non longè post mortem S. Willibrordi secuta persecutio, qui omnem memoriam Sociorum, si quæ fuerit, potuerunt deleſſe. Vnde nemo nos temeritatis inſimulet quod eos S. Willibrordo abſtrahamus, quos multorum inolita opinio adnumerat vt plurimum fundata in personato Marcellino.

## DISSERTATIO XXXVII.

## De Pipinis.

**Q**uoniam in decursu nostri tractatus & actis nostrorum Apostolorum mentio fit Pipini, qui nostratibus præfuit: & quia plures fuerunt idque diuerso tempore eo nomine vocati, quos auctores multi res gestas designantes sæpenumero confundunt, adeo quod vni ascribendum est, alteri deputent, personas & tempora non bene discriminando; operæ pretium me facturum putavi de Pipinis dissertationem breuiem